



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Dissertationes De Actibus Humanis**

**Karchne, Simon**

**Augustæ Vindelicorum & Græcensis, 1716**

§. III. An mortalia ex genere suo valeant transire in venialia titulo parvitatis  
materiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39981**

S. III.

An mortalia ex genere suo valeant transire in venialia  
titulo parvitatis materia.

716. **E**X universali Doctorum consen-  
su quædam mortalia esse capa-  
ciam parvitatis materiae patet in furto, je-  
junij violatione, & voti, in detractione,  
in abstinentia à labore servili &c. non  
paucæ contra sunt incapacia levitatis materiae,  
& hæc vocantur mortalia ex toto  
genere, hujusmodi titulo levitatis non  
possunt transire in venialia, securus mortalia  
priora, quæ vocantur mortalia ex ge-  
nere Rhodes hic D. I. qu. 3. S. 2. §. 2.  
Sanch. lib. 1. Mor. c. 4. Pal. tom. 1. tr.

2. D. 2. p. 7. num. 1. Haunold. lib. 2.  
Theolog. Scholast. a. n. 410.

Dificultas in assignanda regula di-  
scernendi peccata mortalia incapacia par-  
vitatis materiae à peccatis capacibus.  
Comfunior est ista, quod in ijs non de-  
tetur, in quibus tota ratio gravis malitia,  
seu offendæ in materia quantumvis mini-  
ma materialiter reperitur, & exemplif-  
icant in peccatis directè in DEUM, & ejus  
honorem, vel contra proximum com-  
missis, ita Soarez lib. 2. de Legib. c. 28.  
num. 23. Sanch. num. 1. Sporer. p. 1.  
in Decal. cap. 5. à num. 13. ad 31.  
discurrens per omnia præcepta Deca-  
logi.

Ex hac regula inferunt non dari ma-  
teriae parvitatem in odio DEI, ejus con-  
temptu, infidelitate, juramento assertio-  
rio falso, Simonia.

Hæc Regula impugnatur à Pal.  
num. 2. tum quia restat ratio, cur in  
quavis materia etiam parva hujusmodi  
peccatorum inveniatur integra ratio of-  
fensæ, & non in juramento promissorio  
comminatorio, voto, Sacrilegio, ac in  
alijs Religionis actibus: tum quia non  
apparet sufficienter, quare in odio DEI,  
& contemptu nequeat dari materiae par-  
vitas, siquidem quis possit non velle ab-  
solute DEUM offendi, ac contemni, sed  
leviter.

717. Mihi placet regula Haunoldi:  
nimirum ea peccata esse incapacia le-  
vitatis materiae, quam si admitten-  
tent, redundaret in DEUM imper-  
fectio, aut grave damnum generis hu-  
mano immineret, cetera in quibus ni-  
bil horum sequitur, patiuntur levi-  
tatem materiae spectatà lege naturali;  
naturali inquam, quia secundùm jus po-  
sitivum quædam non patiuntur, ut in  
jejunio naturali ante Evcharistia sumptio-  
nen contra aliquo apud Lug. de Eucha-  
rist. D. 15. S. 2. num. 21. contentos je-  
junio Ecclesiastico: & alios apud Hur-  
tag. de Eucharist. D. 9. difficult. 15. ar-  
bitrantes esse veniale sumere Eucharistiam  
post modicum cibum, vel potum. Con-  
tra quos ratio est, quod sicut gutta aquæ  
in calicem consecrandum mittenda præ-  
cipi-

Cipitur sub mortali ob mysterium, & significationem, ita jejunium naturale est praeceptum, ut significetur Christum esse primum nostrum cibum, idcirco est materia gravis. Secundò, ex eodem jure Ecclesiae negatur parvitas materiae in aetate requisita ad matrimonium, proinde in semina debent esse completi anni duodecim, in viro anni quatuordecim contra Sanch. lib. 7. de Matr. D. 104. num. 2. volentem in utroque sufficere, si dies ultima sit inchoata anni impubertatis; Minus subsistit opinio afferentium sufficere, si tres, aut decem dies deficiant: amplius exorbitat Rebellus de Just. lib. 3. quæst. 16. S. 2. num. 16. afferens aetatem ad matrimonium requisitam non peti mathematicè, sed moraliter completam, ut si sponsi ab ea distent uno, alterove mente, parum enim distans nihil distare viderur.

Ratio nostra est, quod aetas à Jure taxata consistat in indivisibili: eadem ratio stat pro aetate praescripta ad Professionem, susceptionem ordinum,

Amplia annum Novitiatus contra quosdam apud Dian. p. 5. tract. 5. Resol. 10. tridentes valere professionem manè factam die, in qua à prandijis expletur Novitiatus, quibus ipse pars tercia tract. 2. Resol. 57. contradicit, Quare regula illa, quod parum distat &c. non habet locum in taxatis à Jure.

Limita de aetate pro matrimonio taxata, nisi constet, quod malitia suppleat aetatem, similem limitationem concedo in septennio praescripto pro valore sponsalium, videlicet probabilius ea valere contracta ab ijs, in quibus clare patet ante septennium usus rationis per tractata in tract. Canonist. de Matr. n. 20.



#### §. IV.

### Regula Haunoldiana illustratur exemplis quoad primam partem.

718. **R**egula data nn. 717. habet tres parres: prior tangit peccata in DEUM, posterior peccata generi humano pernicioſa. Tertia peccata reliqua neutrum horum continentia. Ex prima parte.

Infero primo peccata contra virtutes Theologicas non recipere parvitatem materiarum, puta hæresim, desperationem,

odium DEI. Ratio, quia si aliquis artculus fidei sufficienter propositus negari posset absque noxa lethali, DEUS non esset summe verax in dicendo: si quis posset desperare, id est, nolle posse beatitudinem, aut media ad hanc necessaria propter malitiam apprehensa impossibilitatis, aut arduitatis in consequenda beatitudine, DEUS non esset potens auxilia.